
HYMNI SACRI



S

HYMNI SACRI

POETARUM ALIQUOT GERMANICORUM

IN LATINAM LINGUAM TRANSTULIT

ERNESTUS FRIDERICUS HAUPT

IUR. UTR. DR. ORD. SAX. VIRT. CIV. EQUES

LIPSIAE

APUD WEIDMANNOS

A. MDCCCXLII

MAURICIO SUO PATER

PRAEFATIO.

Quae lecturis, quos scio fore non ita multos, carmina trado Latine a me reddita, ea caussarum, cur non, si transferenda huius generis poemata existimassem, alia potius eaque praecipue recentiora elegerim, brevi in fronte libelli egere videntur explanatione. Ego vero non diffiteor me ad vertenda eiusmodi carmina animum appulisse, quae vere essent quod esse debent, animi, quo exorta sunt atque composita, verissimae imagines. Ac sane in Martini Lutheri, Simonis Dachii, Pauli Gerhardi, reliquorumque, quorum aliqua proposui, carminibus, illa inest vis, quae imo pectore nata, idque incendens, quaesitarum artium prorsus ignara, nativo erumpit impetu:

inest illud animi robur, quod sepulcri vincens horrores, terrae vinculis iam superius, nil nisi caelestia tractat: inest firma illa et inconcussa fiducia, quae non fluctuat inter argutiarum ac dubitationum salebras et politiorum commenta doctrinarum, suis unice viribus ac fortiter suffulta: absunt longissime exiles illae atque exsangues argumentationes, quae, quod pium quodque cor et credere debet et pridem credidit, copiosa et artificiosa disceptatione demonstrare conantur, qualem non paucae recentiorum temporum cantilenae ostentant. Quarum nonnullae, praeter formam haud sane poeticam, adeo alienam a vera sacri carminis indole speciem prae se ferunt, ut dubii haereamus inter risus illecebras et motus indignationis. Pectus est, quod facit disertos: et sic veteres illi vates, insito spiritu forti, fide manifesta et constanti, pietate vera verborumque neque expolitione neque tumore indigente, carmina protulerunt, quae aeque sentientium animos, quo simplicior quisque esset atque integrior, hoc maiore vi attraherent, stabilirent, corroborarent.

Etsi autem facile largior has meas reprehensiones non in huius generis omnia, quae recentior et paulo etiam prior obtulit aetas, cadere carmina, quorum multa probabilia sint, nonnulla etiam bona: tamen, cum pro consilio meo ac rei necessitate non ita multa excudere carmina et typis vulgare voluerim, non vereor, ne in vituperationem incurram, quod vetustiorum temporum opera praetulerim recentioribus, vel sola, quam quaeque antiquitas excitare solet, reverentia captus et commotus, ut taceam eorum quae transtuli plurima ab aliquo inde tempore a libellis, qui sacras complectuntur cantilenas, sedula lustratione aut plane esse seclusa, aut tanquam exsules atque extorres veluti misericordia quadam recentioribus extremo loco et separato ordine annexa, aut, quod omnium minime ferendum est, scita quadam mutatione frigidisque accessionibus debilitata et depravata.

Si qui forte vel lectores erunt vel censores, qui scire ex me cupiant, cur omnino huic me dederim labori, eiusque qui sint fructus, si in publicam emiserim lucem, his apertum dabo ac sim-

plex responsum. Spero ego atque confido, cum Latini sermonis usus a concionibus sacris dudum sit et recte exclusus, nonnullos adhuc fore, qui domestica horum lectione carminum, et, nisi amor negotii suscepti interpretem fallit, Romano eorum colore laetentur. Habet sane sermo Latinus praeter reliquas hanc peculiarem virtutem, quod ad sacra accommodatus poemata non amoenitate solum eximia, sed singulari etiam gravitate personat ac dignitate ab ipsa argumentorum severitate haud absona. Qua de re si quis dubitet, legat vetustissimos illos hymnos, quos temporum iniuria nobis non subtraxit, quorumque in Romana ecclesia vel hodie servatur usus. Qui ut maximam partem ingenua oris Romani dictione et elegantia careant, at simplici candore, miro verborum bene sonantium numero, grandique saepe insignes sunt motus maiestate. Detur haec venia Latinae orationis amicis et cultoribus, ut hac tempestate, qua multis non molesta solum, sed invisa etiam est et odiosa, in merito eam habeant honore. Qui ut et nunc et per futuras aetates illi tribuatur, id vero, quicquid res humanas

ex solo lucro hodie censens venditet perversitas, humanitatis caussa vehementer optamus.

Ad exteros, quorum aliqui Germanicae linguae vel satis periti vel eius certe non prorsus ignari praeter oblectationem aliquam etiam poetarum nostrorum inde haurire possint notitiam, dubito fore, ut hoc opusculum perveniat. Quam ob rem, et cum ipsa carmina nostratibus sint in promtu, ne nimium cresceret libellus, ea ut vernacula lingua sunt composita adiicere nolui.

Haec habui, de his meis conatibus quae dissererem. Quodsi veterum poetarum cineres nec temere nec importune ausis a me esse vexatos periti harum rerum et aequi arbitri iudicabunt, non vereor, ne operam luserim, et in hac sententia lubenter acquiescam.

Quae pauca depositis interpretis partibus ligata oratione in appendicula addidi, eorum plurima ante pepigeram quam ad transferenda in Latinum sermonem praecedentia carmina me accinxi. Sed his ipsis, etsi non eiusdem sunt generis, sed sola affinitate quadam cum exhibitis car-

minibus consociata, ad vertenda illa me fateor esse allicitum, neque ea linguae patriae reddita adiungere dubitavi.

Haec igitur accipite et valete, lectores.

Scribebam Zittaviae,
m. Aprili a. 1842.

res!
res,
ium.
salutis
virtutis
ium.

dat.

deat!

miscent,
viviscent:
iudicis.
gaudete,
tinete,
miis,

Te tua gens glorificet
Beneque factis laudet:
Iam laeta seges prominet,
Eventu verbum gaudet.
Nos beet pater, filius,
Nos sanctus beet spiritus,
Cui supplicat grex gentium,
Cui contremit potissimum:
Dicatis corde Amen!

VII

Surgite, somniatores!
Evigilate, peccatores,
Iam imminet iudicium.
Poenae sortem ac salutis
Concessit arbiter virtutis
Ad liberum suffragium.
Hic recte iudicat,
Scelestos pessum dat.
Tremitote!
Decretis stat,
Accelerat,
Ut iustus iudex sedeat!

Peccatores contremiscent,
Perterriti cum reviviscent:
Succumbent voci iudicis.
Vos, lustrati, iam gaudete,
Salutis palmam obtinete,
Vos decorabit praemiis,

Nec Christus iudicat
Vos, qui oppignerat
Se pro reis:
Iam gratia
Est reddita,
Victores manet lauréa.

Adestote vigilantes,
Parate vosmet excubantes,
Repente dies irruet.
Iudex pios liberabit,
A morte pios vindicabit,
Nec ulla noxa remanet.
Iam patent lucida
Salutis gaudia:
Amen, amen!
Lux obvenit,
Mox aderit:
Deoque laus et honor sit.

VIII

Sit soli deo gloria,
Agamus deo grates,
Quod nunquam vi nos horrida
Attingent tempestates.
Gaudemus dei gratia,
Nunc durat pax laetifica,
Certamina scinduntur.

Excelse, collaudamus te,
Tu, pater, adoraris,
Aeterno quod regimine
In mundo dominaris.
Immensa tu potentia,
Tu nutu regis omnia,
Te domino laetamur.

O Christe, qui unigena
Es soboles parentis,
Qui expiasti scelera
Humanae cuncta gentis,

O sacrosancta victima,
Exaudi vota fervida
Nostrique miserere.

O paraclete spiritus,
Qui maéstos consolaris,
Coerce hostem protenus:
Quos Iesus Christus caris
Restituit vulneribus,
Hos adiuva divinitus:
Hac fide suffulcimur.

IX

Fac tibi adhaerescam,
O sancte domine,
Nec unquam elanguescam,
Nec cedam perfide.
Constantiam augeto,
Ne unquam fluctuem,
Ac perpetim praebeto
Ut te glorificem.

X

Nunc laeti exsurgamus,
Orantes procedamus
Ad te, qui nos servasti
Et viribus donasti.

Per vices nos annorum
Ignari futurorum
Paulatim ambulamus
Et acta instauramus,

Per luctus et angores,
Per metus ac tremores,
Per hostium cohortes
Salutis haud exsortes.

Ut matres caritate
In saeva tempestate
Infantes amplexantur,
Ne inopes laedantur,

Potenti sic favore,
Te optimo tutore,
Furentibus procellis
Tenemur firmis sellis.

O custos tu perite,
Res gerimus inscite,
Ni tu auxiliaris
Et vigil nos tutaris.

Nos fidem praedicemus,
Qua sospites vigemus,
Laudemus vires fortes,
Quae vitae regunt sortes.

Nos audi, te precamur,
Ne unquam deseramur:
Quin oneri malorum
Fons mane gaudiorum.

Et mihi et cuique
Da vires, ne inique
Auxilium poscamus,
Sed temet confidamus.

Occlude fontes luctus,
Expande pacis fructus,
Ac tanta post cruenta
Laetitiam sustenta.

Quaqua eamus, fave,
Lenimen adde suave,
Nec tu humiliores
Nec desere primores.

Orborum sis nutritor,
Pauperibus largitor,
Labantibus sis stator,
Fessisque opis dator.

Aegroti fac sanentur,
Fac, ut exhilarentur
Qui luctibus contriti
Hic degunt vel inviti.

Potissimum largire,
Fac spiritum exire,
Qui vitam nostram claret,
Ad caelum viam paret.

Haec cuncta nobis dato!
Ut quaeque die stato
Impertias, rogamus:
Sic annum integramus.

XI

Surgite! sic personabit
Vox redemtoris, evocabit
E tumulis emortuos.
Surgite, per me lustrati!
Vos congregate, adamati:
Qui mundum regit, vocat vos!
Nox cessit tacita:
Fugate somnia!
Halleluia!
Accingite
Vos propere!
Suprema dies irruit.

Terrae orbis contremiscit,
Piorum coetus reviviscit
Recenti vitae redditus.
Expiator claritate
Et gratia et veritate
Accedit splendidissimus.

Te lux circumdedit,
Te vita profluit.
Hosianna!
Redemtor, te,
Celsissime,
Ad regnum patris sequimur.

Tuam gloriam cantamus,
Ad vitam tandem penetramus,
Optata palma annuit.
Christus nos laetificabit,
Hic sese nobis revelabit,
Qui nos amanter recipit.
Quis ex mortalibus
Tantorum conscius
Unquam fuit?
Aeterna te,
Sanctissime,
Laus decoret et gloria.

XII

Prosperi, qui decessistis,
Ad deum morte pervenistis,
Vos manent caeli gaudia.
Ultimos en post sopores
Recipiet triumphatores
Aeternitas laetifica.
Vos conquiescitis
Procul molestiis.
Hosianna!
Terrestria
Vos opera
Sequuntur ad caelestia.

Te, redemtor, adoremus,
Excelse, tibi supplicemus,
Sit tibi summa gloria.
Vos, superatorum chori,
Sanctissimo expiatori
Parate laudis carmina.

Ut nos occubuit:
Iam nullus fletus sit!
Halleluia!
Exorto te,
Rex lucide,
Et sol et luna disperit.

Sol et luna tenebrescent:
Per te tum caeli exsplendescent,
Paternae heres gloriae.
Salus, meta lacrimarum,
O fulgentissima stellarum,
Propinquas spei fervidae.
Nunc fletus desiit,
Mors ipsa occidit.
Halleluia!
Qui occidit,
Nos anteit,
Ad patrem scandit: sequimur.

XIII

Surgite! haec est sonantis
E specula vox excubantis
Evigilate, Solymi!
Media nox invalescit,
Clarisona vox intumescit,
Quid, virgines, cunctamini?
Lucernas struite!
Ad sponsum pergite!
Halleluia!
Exsurgite!
Iam propere
Ad nuptias procedite!

Zion vigiles canentes
Audit, congregat gaudentes,
Evigilata proruit.
Caelum linquit adamatus,
Accedit gratia ornatus,
Lucescit, mane obvenit.

Accede, cara spes,
Divina soboles!
Hosianna!
Sequemur te,
Laetifice
Coenabimus te hospite.

Tuam gloriam psallemus,
Cum caelis temet exaltemus
Concentibus dulcisonis.
Tuae fulgent arcis portae:
Te sublimemus cum cohorte
Caelesti sonis sociis.
Hoc tantum gaudium
Mortali abditum
Nemo sensit.
Io! io!
Te iubilo
Extollimus perpetuo.

XIV

Iesu, cordis gaudium,
Dulcis Iesu!
Animae solatium,
Care Iesu!
Exulis perfugium,
Fide Iesu!
Iesu, dulcis Iesu!

Millies recordor te,
Adamate!
Appeto te avide,
Expiator!
Aveo te visere,
Consolator!
Iesu, consolator!

Pasce me ac satia,
Caeli manna!
Riga lassum gratia,
Ros divine!

Animae quietem da,
Quies alma!
Iesu, quies alma!

Nihil te est suavius,
Adamate!
Te nil est benignius,
Adorate!
Neque quidquam dulcius
Te, dulcedo!
Iesu, o dulcedo!

Aeger sum: me robora,
Robur meum!
Langueo: me recrea,
Alme Iesu!
Morientem adiuva,
Consolator!
Iesu, consolator!

XV

Res tuas atque curas
Tu illi credito,
Qui nutu creaturas
Gubernat valido.
Qui ventos atque nubes
Perducis tramite,
Patere viam iubes,
Qua eam optime.

Hoc domino nitare:
Quae condit opera,
Mortalis, contemplare,
His tua munita.
Nec curis nec plangore
Tu hunc sollicites:
Precando spera fore
Ut vota impetres.

Aeterno tu amore,
O pater, prospicis

Quae plena sint dolore,
Quae prosint liberis,
Et quod tu elegisti,
O dux fortissime,
Ad finem perduxisti
Divino numine.

Nec, ubicunque eas,
Tu usquam clauderis:
Tu usque quaque beas,
Tu luce affluis:
Nec unquam impediris,
Quin prodas opera,
Cum liberis largiris
Quaecunque optima.

Ut hostes acervatim
Obsistant undique,
At tu nos teges statim
Nec cedes, domine.
Quod tu proposuisti,
Quod iubes fieri,
Hoc pridem prospexisti
Ut posset perfici.

O spera et confide,
Contrita anima!

Intrepide concide
Maeroris vincula.
Te deus amovebit
A luctus gurgite
Tibique sol lucebit
Ex claro aethere.

Exsurge et angores
Curasque mittito
Fortique tu horrores
Propelle animo.
Potenti non pollere
Te sceptro cogita:
Hoc deus scit tenere,
Gubernans omnia.

Hoc tu suffulciare,
Hic prudens imperat,
Hic gerit res praeclare,
Ut quisque stupeat.
Cum extricato nodo,
Ut ei convenit,
Id miro solvit modo,
Quod luctum attulit.

Si quando hic cunctetur
Opemque differat,

Diutius moretur
Quod temet erigat,
Te quasi desivisset
Tutela tegere,
Te quasi reliquisset
In hoc certamine:

At tu si obdurabis
Constanti animo,
Repente exsultabis
Eventu prospero.
Te deus liberabit
Ademto onere,
Tandemque te iuvabit
Tulisse strenue.

Experte, iam salveto,
Iam cape lauream!
Coronam tu teneto
Virtute meritam.
Te deus beat palma
Ornata dextera:
Quiete fruens alma
Hunc psalmis celebra.

Miseriae, quae urget,
Da finem, domine!

Te auspice exsurget
Cor novo robore.
Clementer nos iuvato
Ad usque tumulum,
Tandemque sociato
Cohorti caelitum.

XVI

Precamur sanctum spiritum,
Ut fidem det potissimum
Nosque tueatur
Die ultimo,
Cum revertemur
Ex hoc exilio.

Nos, cara lux, irradia,
Ut Iesus spes sit unica
Utque teneamus
Sospitatorem,
Qui nos adduxit
Ad patriam priorem.

O dulcis amor, gratia
Nos fove hic, ut mutua
Iuncti caritate
In pace stemus
Nec unquam lite
Nos separemus.

Tu summum es solatium:
Nec mors nos nec ludibrium
Terreat, praebeto.
Hoc opem dabit,
Cum inimicus
Vitam accusabit.

XVII

Deus caeli ac terrarum,
Pater, fili, spiritus,
Solis, lunae ac stellarum
Qui laetaris vicibus,
Cuius praepotentia
Sustentantur omnia:

Corde tibi ago grates,
Quod in noctis tenebris
Viribus calamitates
Propulisti validis,
Hostis ne fallacia
Irretirer callida.

Orta luce fac vanescant
Peccatorum agmina,
Fac, o Iesu, ut patescant
Cara tua vulnera,
Quae peccatis obruto
Sola sunt solatio.

Faç ut hacce novà luce
Penitus redintegrer,
Animaeque temet duce
Ad salutem renover,
Ne ad sellam iudicis
Contremiscam lugubris.

Tua me loquela dulci
Rectae viae advoca:
Timidum tutare, fulci:
Cinge me vigilia:
Nusquam, nisi penes te
Sospitem putabo me.

Tua me tutela forti,
Maxime, recipito:
Tutor assis vitae sorti
Valido praesidio:
Robur meum, domine,
Scuto memet obtege.

Lega angelum, qui hostes
Forti manu dirimat,
Ne tentator intret, postes
Sedulo custodiat,
Aetas cum effluxerit,
Mihi dux et comes sit.

Audi cuncta, quae te oro,
Pater, fili, spiritus!
Preces, quibus te imploro,
Ratas fac propitius.
Hic et caeli socius
Te laudabo prosperus.

XVIII

Nunc silvae conticescunt,
Nunc homines quiescunt
Nox sopit omnia:
At ego me accingam
Somnique vim perfringam,
Ut pia pangam carmina.

Sol, quorsum tetendisti?
Tu nocti iam cessisti,
Quae diem occulit:
Decede! pulcriore
Illuminor splendore,
Quem cordi Iesus indidit.

Iam tenebrae valescunt,
Iam sidera splendescunt
In alto aethere:
Nitorem tantum edam,
Cum dei iussu cedam
Ex hac sollicitudine.

Nunc propero dormire,
Exuviis exire,
Quod mortem simulat:
Mortale quidque cadet,
Nam Iesus mihi tradet,
Aeternum quod eniteat.

Molestiis lassatùm,
Labore enervatum
Iam pax recipiet:
Peccatis sic tentatum
Curisque cumulatum
Mors victrix tandem eximet.

Vos artus languescentes,
Fruamini lubentes
Quiete placida:
Nae hora propinquabit,
Quae vobis apparabit
Sepulcri incunabula.

Iam oculi pigrescunt,
Repente obrigescunt:
Me quisnam proteget?
Tu mihi vigil esto,
Custodia sis praesto,
Quae fortiter auxiliet!

O Christe! tu alarum
Tegumine tuarum
Timentem recipe!
Tu vim inimicorum
Per cantus angelorum
Fugatam a me remove!

Vos quoque, adamati,
Estote illibati
Nec violemini!
Iam carpite sopores:
Qui arceant horrores
Ministri astent flammei!

XIX

Aliquando cum sopore
Ultimo excutiar,
Omni vacuus dolore
Clarior exoriar,
Terrae vincla deseram,
Novos sensus induam,
Mane sanctius clarescet,
Vitae somnium vanescet.

Fac, ut nulla me dierum,
Lucis dator, arguat,
Me sprevisse hoc, quod verum
Bonum mi suppeditat,
Etiamnum vigeo:
Gratus te glorifico.
Fac, virtuti me ut dedam,
Ab illecebris recedam.

Ne attonitus pavescam
Summi memor iudicis,

Nec sepulcrum pertimescam,
Neque flectar lacrimis.
Tu luctantem adiuva,
Morientem robora,
Lacrimantibus ut luctus
In aeternos cedant fructus.

XX

Accede, sancte spiritus,
Tu corda reple penitus,
Animi fac extollantur
Et amore incendantur.
Splendore lucis congregas
Sermone gentes dissonas,
Ubicunque dissipatas:
Hinc laudes canimus elatas.
Halleluia!

Lux sancta, custos optime,
Aspira divo flamine,
Deum ut nos pernoscamus,
Hoc parente confidamus:
Commenta vana supprime,
Fác Christo nos ut unice
Firmiterque concredamus
Eoque fidem fulciamus.
Halleluia!

O ignis sancte, pabulum
Amoenum, fer auxilium,
Alacres ut persistamus,
Nec aerumnis desciscamus.
O tua ope, domine,
Nos robora potissime,
Ut intrepide luctemur
Et victa morte sublimemur.
Halleluia!

XXI

O beatos vos, qui decessistis,
Morte qui ad deum pervenistis!
Vos effugistis
Compede, qua vinctos nos liquistis.

Similes hic sumus catenatis
Inter gemitus anxietatis:
Quicquid tentemus,
Curas ac miserias vocemus.

At secura vos obtexit cella,
Nec hostilis vobis obest stella,
Nec gaudiorum
Flores devastabit vis dolorum.

Christus vestras lacrimas siccabit,
Quod habetis, nobis olim dabit:
Vos melos stringit,
Auri quod mortali non obtingit.

Quidni hinc lubentes abeamus
Et heredes caeli evadamus?
Quis hic moretur
Et maeroris luctu agitetur?

Veni Christe, iugo nos levato,
Hinc nos aufer, vincla dissecato!
Tu, sol, piarum
Decus permaneto animarum!

XXII

Iesu laeti dator,
Cordis consolator,
Dulce pabulum,
Ah, quam diu tenet
Tui, Iesu, memet
Desiderium!
Victima
Crucifera,
Te nil carius habebo,
Vanaque delebo.

Umbra sub alarum
Abditus tuarum
Vaco turbine.
Hostis furor gliscat,
Mundus contremiscat,
Christus tenet me.

Fulguret
Ac pertonet!
Mundus licet illabatur,
Iesus me tutatur.

Ensem stringe, hostis,
Pate, mortis postis,
Terror, ingrue!
Furite maligni,
Praesidis benigni
Laetor numine.
Prospicit,
Me obtegit:
Duce memet hoc accingam,
Agmina perfringam.

Cede auri nitor:
Christus est largitor
Summi gaudii.
Cedite, honores:
Spargitis horrores,
Deperdamini!
Atra sors,
Vel ipsa mors,
Quicquid mali apparebit,
Fidem non delebit.

Apage, qua stulti
Gloriantur multi,
Mundi vanitas!
Ruite peccata
Prorsus profligata
Iam in tenebras!
Fugam da,
Superbia!
Me, quod malos pessum dabit,
Non contaminabit.

Cedite dolores,
Expanduntur fores,
Christus advenit!
Deo qui laetantur,
Etsi crucientur,
Opem adstruit.
Pessima
Iniuria
Acres licet morsus edat,
Dumne Iesus cedat.

XXIII

En, dies iam occubuit,
Sol lucem condidit:
Iam fessus quisque concidit
Ac flens dormitum it.

Tu solus, summe, vigilas,
Nec somno frueris:
Obscura quaeque dissipas,
Qui luce affluis.

Memento mei, domine,
In hisce tenebris:
Custodiis me undique
Circumda validis.

Averte hostis impetus
Per fortes vigiles:
Sic curis ero vacuus,
Dum tu me obteges.

Tametsi culpa oneror,
Quae pectus obruit,
Piaculo at fulcior,
Quod Christus obtulit.

Sponsorem hunc accipito,
Cum reus fuero:
Servabor a periculo,
Si hoc me fulcio.

Languentibus sic oculis
In somnum incidam:
Tu quiescentem protegis,
Qui tristis iaceam?

Iam vanum quodque cedito:
Quid tecum habui?
Iam corde fana exstruo
Divino numini.

Hac nocte tu si iusseris
Ex hac miseria
Me cedere, ex vinculis
Me tibi vindica.

Ut vitam, ita exitum
Cor deo consecret,
Qui vivum atque mortuum
E luctu eximet.

XXIV

Laudate cantu resono,
Quicunque vivitis,
Quem angelorum concio
Exaltat hilaris.

Exsurgite, clarisonum
Concentum fundite,
Concelebrate maximum,
Qui regit optime,

Qui nosmet iam a teneris
Servavit sospites,
Et vacuos auxiliis
Refecit stabiles,

Qui quicquid commiserimus
Condonat placide,
Oblitus culpae potius
Nos beat propere.

Det mentem nobis vegetam
Viresque erigat,
Dolores ac miseriam
In mare proruat.

Confirmet pacem auream
Dilectae patriae,
Fortunet opem sedulam,
Ut cedat prospere.

Perpetuo nos obtegat
Tutela provida,
Longissime removeat
Curarum agmina.

Hic salus nostra maneat
Dum vita suppetet,
Nec occumbentes deserat,
Cum mors nos auferet.

Occludat fractos oculos
Benigna dextera
Et evehat nos mortuos
Ad dia gaudia.

XXV

Te celebro cordicitus
Auctorem omnium,
Te celebrabo nuntius
Tuorum operum.

Tu, pater summe, affluis
Aeterna gratia,
Tu fausta quaeque porrigis
Ac salutifera.

Quid sumus? et mortalibus
Quid unquam accidit,
Quod illis parens optimus
Non solus dederit?

Quis celsum caeli fornicem
Exstruxit splendide?

Quis rore rigat segetem,
Ut crescat prospere?

Quis vim emollit frigorum,
Quis arcet turbines,
Quis grana fovet segetum
Quis uvae palmites?

Quis vitam dedit vegetam,
Quis pacem nobilem
Fructuque laeto floridam
Tutatur sospitem?

O deus, tibi omnia
Accepta ferimus,
Tutela tu nos provida,
Texisti hactenus.

Clementer noxam toleras
Nec punis nimie,
Quin peccatorum sarcinas
Submergis aequore.

Cum tristes ingemiscimus
Exaudis gemitus,

Et porrigis laetificus
Quod iuvet protenus.

Christicolarum lacrimas
Perpendis serio,
Tu unamquamque numeras
Et siccas illico.

Tu inopes exsatias
Caelesti copia,
Submotos terra muneras
Aeterna patria.

Exsurge cor, te recrea
Viresque sumito:
Qui procreavit omnia,
Te curat sedulo.

Hic ditat te largissime
Et luce obvenit,
Tutatur te benevole,
Te nunquam deserit.

Angore quid te crucias?
Tu summo arbitro

Humanae sortis salebras
Fidenter credito.

Memento te a teneris
Fuisse stabilem,
Et hostium e latebris
Cessisse sospitem.

Res cunctas divo numine
Direxit optime,
Et quid molitur undique,
Id cedit prospere.

Te collige, confidito,
Nec stulte sapias:
Fidentibus est praemio
Aeterna claritas.

XXVI

Te collaudamus, maxime
Felicitatis dator,
Te, artifex mirifice,
Te, alme consolator,
Qui gratia me satias,
Qui maesti siccas lacrimas,
Te deum collaudamus.

Te caeli canunt agmina,
Qui solus dominaris,
Te cuncta terrae spatia,
Te fluctus laudant maris,
Glorificant potentiam,
Qua polles immensissimam :
Te deum collaudamus.

Quodcunque deus genuit
Id certo conservabit:
Futura quaeque prospicit,
Suosque sospitabit,
Hic dominatur libere
Aptissimo regimine:
Te deum collaudamus.

Clamavi ex miseria:
Me domine, audito!
Tu ope validissima
Me sustentasti cito.
Hinc tibi ago gratias,
Efferte voces socias:
Te deum collaudamus.

Tu praesto es, o domine,
Nec unquam recessisti,
Nos adiuvas mirifice
Salvosque praestitisti,
Paterna manu allevas
Ducisque nos per tenebras:
Te deum collaudamus.

Expertes cum auxilii
Nos quaeque spes frustratur,

Tum deus ope stabili
Oppressos consolatur,
Paternum vertit animum
Ad exsulis auxilium:
Te deum collaudamus.

Te venerabor, maxime,
Nec unquam perfrigescam:
Te celebrabo carmine,
Nec unquam obmutescam.
Exsulta, mea anima,
Et sancta cape gaudia:
Te deum collaudamus.

Qui Christi nomen colitis,
Honorem deo date:
Vim divam qui agnoscitis,
Effuse iubilate:
Te nihil viget altius,
Tu deus es ac dominus:
Te deum collaudamus.

Laetantes iam accedite,
Ut gratias agamus,

Et vota nunc persolvite
Et hilare canamus:
Perpendis cuncta optime
Et perficis egregie:
Te deum collaudamus.

APPENDIX

I

Vitae fluctibus iactamur,
Procellarum vi quassamur,
Quotquot terra genuit:
Donec fessos navigantes,
Huc et illuc fluctuantes,
Portus tandem recipit.

Tum querelae conticescunt
Neque unquam recrudescunt
Luctatorum vulnera:
Maeror omnis dissipatur,
Nullus horror pervagatur
Sepulcrorum somnia.

Magna dies illucescet:
Tum repente intumescet
Unusquisque tumulus:
Dormientes seculorum,
Agmen omne peccatorum
Tubae coget sonitus.

I

Alle die das licht gesogen,
Schwanken auf des lebens wogen
Hin und her in irrem lauf:
Die umringt von felsenriffen
Manche sturmesnacht durchschiffen,
Nimmt zuletzt der hafen auf.

Dort verschwinden alle schmerzen,
Wo den gram gebrochner herzen
Süsses schlafes balsam stillt.
Friede sinkt auf diese räume
Und der schlummrer tiefe träume
Stört kein grauses schreckensbild.

Einst an gottes heilgem morgen
Dringet, was das grab geborgen,
Aus der langen nacht hervor:
Die erwachten schläfer alle
Horchen dem posaunenschalle,
Staunend schaut ihr blick empor.

Rex tremendae maiestatis
Fons immense caritatis,
Parce nobis, domine!
Et sponsoris tu memento,
Qui piaculo cruento
Nos absolvit scelere.

Culpae tu obliviscare,
Resurrectis largiare
Sancta caeli praemia.
Accusator obmutescat,
Et aeterna refulgescat
Paradisi gloria.

Richter über sternenpfaden,
Grosser vater aller gnaden,
Schone deiner sünderschaar!
Denke dess, der voll erbarmen
Für die schuldbefleckten armen
Blutend sank am sühnaltar.

Tilge unsre schweren schulden,
Senke sie aus freien hulden
Tief in die vergessenheit;
Heisse den verklager schweigen,
Uns umweh' aus palmenzweigen
Paradiesesherrlichkeit.

II

Agmen grande confessorum,
Cohors martyrum altorum,
Gaude tua gloria!
Sacra tibi per angores,
Cruciatus et dolores,
Obtigit memoria.

Testes olim veritatis,
Nunc heredes claritatis
Et salutis socii,
Acriter qui dimicastis,
Iam coronas reportastis
Sanguine martyrii.

Sospitate vos beavit
Paradisum qui paravit,
Sanctus unigenitus.
Hanc ad metam vos perduxit
Stellae instar qui praeluxit,
Protomartyr Stephanus.

II

Die als märtyrer gestorben,
Durch den tod das heil erworben,
Freuet euch der herrlichkeit!
Die ihr durch die nacht gedrungen,
Euch zum licht emporgeschwungen,
Hoch seid ihr gebenedeit.

Hohe zeugen einst der wahrheit,
Erben nun der ew'gen klarheit,
Heilsgenossen hochbeglückt,
Eurem blut'gen kampf zum lohne
Winkt die überwinderkrone,
Die der treuen schläfe schmückt.

Euch, in hartem streit erprobte,
Schenkt der heil'ge, hochgelobte,
Ew'gen freudenüberfluss.
Leitstern auf den dunkeln pfaden
Warst du durch des geistes gnaden,
Erster martyr, Stephanus!

Vos nunc aurae mulcent almae,
Annuunt caelestes palmae,
Umbra vocat gelida,
Et per choros angelorum
Personabit confessorum
Sempiterna gloria.

Mortis vincla perrupistis,
Luctatores effulsistis,
Clara velut sidera.
Mane sanctius clarescit,
Lux aeterna enitescit,
Diva spargens gaudia.

Ruht nun unter goldnen halmen,
Euch umwehen himmelspalmen,
Wonnen der unsterblichkeit,
Und der engel jubelchöre
Feiern der bekenner ehre,
Die sich kampf und tod geweiht.

Todesmacht habt ihr bezwungen,
Seid zum leben durchgedrungen,
Euch umleuchtet himmelsglanz.
Freudenfülle überschwänglich
Strömt durch Eden, unvergänglich
Blühet euer siegerkranz.

III

Iter arduum permense,
Caritatis fons immense,
Ad clementiam propense,
Peccatores aspice!

Cruci assumus maerentes,
Lacrimosi, tremiscentes,
Magnam culpam elugentes:
Christe, fessos erige!

Qui aegrotos consanasti,
Qui defunctos revocasti,
Languidos qui recreasti,
Anxios ne reiice!

Parens abalienatum
Filium, excruciatum,
Gravi culpa maculatum,
Recipit benevole.

III

Heil'ger du, vor dem wir stehen,
Retter uns zum heil ersehen,
Zugeneigt der reue flehen,
Nimm auch uns, die sünder, an.

Weinend wir dein kreuz umschliessen:
Sieh der reue thränen fliessen,
Lass der hoffnung stral entspriessen,
Lass uns dir vertrauend nahn.

Deine hand die kranken heilte,
Leben, trost und hilf' ertheilte,
Immerdar zu retten eilte,
Hilf der brust von schmerz bedrängt!

Der verlorne sohn bereuet,
Ihm, den untergang umdräuet,
Wird des vaters huld erneuet,
Die verzeihend ihn umfängt.

Hoc exemplum posuisti,
Hoc solamen dispersisti,
Paenitentibus favisti,
Nos reversos recipe.

Petrum olim abnuentem,
Noxam illico deflentem,
Manus supplices tendentem,
Absolvisti crimine.

Quin malefico, ad crucem
Dato, paradisi lucem
Tu promittis, teque ducem
Mira praestas gratia.

En contritos, lacrimantes,
Trepidos ac fluctuantes,
De salute desperantes:
Pande tua vulnera.

Quid agemus morituri,
Terrae vincla rescissuri,

Solches hast du selbst verkündet,
Hast der hoffnung stral entzündet,
Trost und zuversicht begründet,
Jedem gnädig, der bereut.

Petro, der sich abgewendet,
Hast du gnade ja gespendet,
Hast sein grosses leid geendet,
End' auch unser seelenleid!

Gabst noch in des scheidens stunde
Blutend aus der todeswunde,
Dem verbrecher trosteskunde,
Sein auch sei das paradies.

Sieh uns weinen, zagen, wanken,
Sieh uns zittern, trostlos schwanken,
Deines kreuzes stamm umranken,
Das der welt das heil verhiess.

Ach, wie sollen, wenn wir sterben,
Wir mit den gerechten erben,

Nisi gratiae securi?
Miserere, domine!

Magna dies, dies illa
Tundet ignes e scintilla,
Effervescent vel tranquilla,
Stellae cadent tremule.

Regiones cunctae gliscent,
Rupes altae contremiscent,
Et sepulti reviviscent
Truci tubae sonitu.

Tum attoniti pavescent,
Viso miro cohorrescent,
Et terrores ingravescent,
Teste vatis spiritu.

At tu, Christe, claritate
Celsa affluens, elate
Grandi stabis maiestate,
Personante tonitru.

Wenn wir gnade nicht erwerben,
Wenn dein antlitz uns verstiess?

Einst am grössten aller tage
Wäget des gerichtes wage,
Wird erfüllt prophetensage,
Endet sich der zeiten lauf.

Erd' und meerestiefen zittern,
Berge bersten, felsen splittern,
Feuerwolken krachend wittern,
Und die gräber thun sich auf.

Staunend aus der todeshalle
Horchen dem posaunenschalle
Die erwachten schläfer alle,
Harrend auf den richterspruch.

König mit der sternenkrone,
Richter auf dem wolkenthrone,
Wie zur strafe, so zum lohne
Öffnest du der zeiten buch.

Iudex ergo cum sedebis,
Vindex iustus apparebis,
Et servabis et delebis,
Nostram noxam mergito.

Tu nos fove caritate,
Da salutem cumulate,
Vocem mitte: vos intrate,
Supplices accipio.

Die mit grosser schuld beladen,
Nimm uns an zu deinen gnaden,
Lös' uns von der sünde schaden,
Lass am erb' uns nehmen theil.

Tilg' uns nicht in deinem grimme,
Deiner liebe glut erglimme,
Gnädig rufe deine stimme:
Gehet ein zu ew'gem heil!

IV

Turba hostium stipatus
Dum pendebat sauciatus
Carus unigenitus,
Vidit matrem adamatam,
Gravi luctu laceratam,
Lacrimantem cominus.

Et ad latus eius stabat
Is, quem dominus amabat,
Iuvenis discipulus:
Matri Iesus dat solamen,
Maestae animae levamen,
'Tuus hic est filius!'

Atque dulci voce sua
Pergit 'mater haec est tua.'
Audit vocem iuvenis:
Testamento quem dignatur

IV

Als in schweren leidensstunden,
Blutend aus den todeswunden,
Unser herr am kreuze hieng,
Sah er still in tiefem flehen
Die geliebte mutter stehen,
Welche grosses leid umfieng.

Und der weinenden zur seiten
Sieht er auch den jüngling schreiten,
Den er liebt', und süssen ton,
Trostesworte, Christus sendet,
Zu der mutter hingewendet,
'Mutter, sieh, das ist dein sohn!'

Und zum jüngling, ihr zur seite,
Spricht der hochgebenedeite,
'Siehe deine mutter hier!'
Dieser hört die süsse kunde,

Tanto Iesus, recreatur,
Matrem iungit brachiis.

Blande recipit dilectam,
Viso lugubri confectam,
Acri planctu languidam.
Perstat mater in maerore,
Dolet filii dolore,
Renovat tristitiam.

Tolle vultum, o Maria,
Sicca genas, mater pia,
Resurrexit filius.
Quem ereptum lacrimabas,
Ille, quem desiderabas,
Resurrexit unicus.

Aegrum convalescit pectus,
Tumba exiit dilectus,
Iam aresce, lacrima!
Mortem Christus superavit,
Victor ille triumphavit,
Stat aeterna gloria.

Dulce se solamen pandit,
Christus cum ad patrem scandit,

Sein vermächtniss, und zur stunde
Theilt sein obdach er mit ihr.

Nimmt sie auf, sie treu zu pflegen:
Doch in ihre seele regen
Dornen sich und bittrer schmerz.
Sie beharrt in tiefer trauer,
Und des sohnes todesschauer
Dringen durch das mutterherz.

Hebe deinen blick, Marie,
Weine nicht, o mutter, siehe,
Auferstanden ist dein sohn!
Dessen scheiden du beweintest,
Er, den du verloren meintest,
Brach des grabes riegel schon.

Und die seele, tiefverwundet,
Und das kranke herz gesundet,
Christus trat aus grabesnacht.
Blieb dem grabe nicht verfallen,
Erstling von den toden allen
Lebt er nun in ew'ger macht.

Und als seine treuen schaaren
Dort am berg versammelt waren,

Verbo suos refovet
'Ne timete! dic quoque
Vobis adero locoque,
Donec mundus concidet.'

Liess er ihnen tröstungswort:
'Seid getrost und lasst die klage,
Bei euch bin ich alle tage,
Bis ans ende, fort und fort.'

V

(Secundum patrum ecclesiasticorum narrationes.)

Die iam vesperascente,
Divulgato nuntio,
Prodit Ephesi repente
Confessorum concio.
Congregantur acri nisu,
Obstupescunt nova re,
Nam sepulcrum, mirum visu,
Praeparatur impigre.

Iamque rumor dissipatur
De Iohannis reditu,
Vultus quisque hilaratur
Strepit coetus fremitu:
Omen hoc accipiatis!
Annus enim transiit,
Ex quo praeco sospitatis,
Nostra lux, conticuit.

V

(Nach den erzählungen der kirchenväter.)

Bei des abends hellem scheine,
Freundlich tauschend gruss um gruss,
Stand versammelt die gemeine
In dem heitern Ephesus.
Sagt, wess seid ihr noch gewärtig,
Da der tag sich schon geneigt?
Und ein grab wird eben fertig,
Und die menge staunt und schweigt.

Da verbreitet sich die kunde,
Dass Johannes wieder naht,
Und es tönt von mund zu munde:
Siehe, das ist gottes rath!
Denn ein jahr ist schon vergangen,
Seit Johannes zu uns sprach.
Stille hoffnung und verlangen
Zog ihm alle herzen nach.

Doce, sodes, quid saluti
Praeter haec inserviat,
Quid verissimae virtuti
Summum robur afferat.
Liberos haec tuos doce,
Tu, quem virtus decorat!'
Atat iterata voce
Senex tunc responsitat:

'Alter alterum amato,
Amor cuncta perficit:
Domini praeceptum stato,
Christus hocce condidit!'
Prece tacite elata
Linquit aedem concio:
Aura vespere flammata
Fuco fulget lucido.

Et dilectum circumfundunt
Addictorum agmina:
Vultus, aspice, obtundunt
Subita miracula:
Sancta luce collustratur
Os senile arduum,
Divo spiritu afflatur,
Decus reddit caelitum.

Wollest deine kinder lehren,
Was uns sonst noch führt zum heil,
Dass wir gläubig in uns mehren,
Kindlich fromm, das bessre theil.
Künd' es uns zur heilgen stunde,
Du, der deinen licht und hort!'
Aber aus Johannis munde
Tönt zum zweitenmal das wort:

'Lasst die liebe nur nicht weichen,
Steht in ihr bis in den tod:
Alles wird die lieb' erreichen,
Und sie ist des herrn gebot.'
Alsobald nach stillem beten
Leeret sich der halle raum:
An den abendhimmel treten
Duftgewölk' in goldnem saum.

Um den hochgeliebten stehen
Seine kinder ringsgeschaart,
Staunend ihre blicke sehen
Was sich herrlich offenbart:
Wie in neuer kraft erhoben
Steht der meister hoch und hehr:
Himmelswonne, licht von oben
Überstrahlt ihn mehr und mehr.

'Cohors cara, hora ciet,
Avocat apostolum.
Quod optavit, tandem fiet:
En sepulcrum conditum.
Ne tremiscite, havete,
Mei quisque memor sit,
Perdurate ac valete!'
Artus tumba recipit.

'Sancte, tu, ad cuius crucem
Astiti in Golgatha,
Assis, teque praesta ducem
Vulnerum in gloria:
Vindicem te mihi praesta,
Scuto qui me obtegat:
Fulgens visum manifesta,
Patmos quod obtulerat.

Educ vita me longaeva,
Quam praedixti iuveni,
Educ tempestate saeva,
Audi vocem languidi!
Veni, Iesu, o solamen:
Moriens te invoco:
Veni, Iesu, amen, amen!'
Fracto iacet oculo.

'Lasset, kindlein, euch nicht grauen,
Weil die grosse stunde schlägt,
Die vom glauben zu dem schauen
Nun der zwölfe letzten trägt.'
Fleht dann segen auf sie nieder,
Still mit aufgehobner hand,
Bettet dann die greisen glieder
In das grab im grünen land.

'Heilger, du, an dessen kreuze
Einst ich stand auf Golgatha,
Sei in deiner wunden reize,
In der glorie mir nah!
O zum schilde mir erscheine,
Mit der herrlichkeit geschmückt,
Wie du einst in Patmos haine
Deines knechtes aug' entzückt!

Ende nun mein langes wallen,
Das mir einst dein mund verhiess:
Führe mich aus todeshallen
In dein ew'ges paradies:
Komm, herr Jesu: deinen namen
Sterbend noch die zunge spricht:
Komm, herr Jesu, amen, amen!'
Und das fromme auge bricht.

Aer roseus splendescit,
Sol occasu effugit,
Maeror undique gravescit,
Corda luctus obruit,
Manu socia tumescit
Floridus colliculus,
Lacrimarum vi madescit
Adamati tumulus.

Und der sonne letzter funken
Sinkt in abendduft hinab:
Tief in rührung hingesunken
Knie'n die gläub'gen an dem grab:
Still erbauen ihre hände
Einen blumenhügel auf:
Als der liebe letzte spende
Träufen tausend thränen drauf.

INITIA CARMINUM. NOMINA POETARUM.